

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1844

Auteur(s) : Guillaume V de Saint-Mère-Église, Avranches (évêque)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1237, 2 février

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

L'évêque Guillaume et le chapitre d'Avranches et l'abbé Raoul et les moines du Mont-Saint-Michel notifient le litige et l'accord entre eux sur la juridiction du Mont.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Abrincensis, n° XIX, col. 116-117.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Willelmus, Dei gratia episcopus et capitulum Abrincense, et Radulfus abbas, et conventus S. Michaëlis de periculo maris, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod quum contentio esset inter nos episcopum et capitulum Abrincense ex una parte, et nos abbatem et conventum Montis sancti Michaëlis de periculo maris ex altera, super jurisdictione Montis et rebus aliis ; tandem pacificatum est inter nos in hunc modum : quod abbas prædicti Montis habeat institutionem et destitutionem ecclesiarum de Monte et presbyterorum, qui curam animarum percipient ab abbate, ita tamen, quod si contigerit sacerdotes aliqua gravia et enormia, depositione digna perpetrare causæ examinatio et degradatio ad episcopum pertinebit: item quod abbas habeat omnimodam jurisdictionem presbyterorum, clericorum et laicorum de Monte, retento episcopo, quod causæ ad ipsum deferantur per appellationem, vel abbatis negligentiam: item quod abbas habeat cognitionem causarum matrimonialium usque ad definitivam sententiam ; et tunc mittere debet causam sufficienter instructam domino episcopo, vel ejus officiali : item quod episcopus habeat cognitionem de injectione manuum in clericos, exceptis monachis : item episcopus habeat cognitionem de omni sacrilegio, dum tamen illud sacrilegium infra septa abbatiae non committatur ; de quo sacrilegio infra septa commisso sic intelligendum est, quod si a clericis vel laicis ejusdem Montis infra clausuram abbatiae committatur, sive a peregrinis diœcесium aliarum, pertinebit causæ cognitio ad abbatem ; si vero a quibuscumque clericis vel laicis Abrincensis diœc. clericis et laicis Montis duntaxat exceptis, sacrilegium, et infra septa abbatiae committi contingat, episcopus de eo cognoscet : item episcopus cognoscet de crimine hæreseos : item singuli homines in villa Montis domos tenentes, die Martis post octavam Pentecostes, quo die processio dicti Montis venit apud Abrincas, dum tamen processio Abrincensis prius ad Montem venerit, nisi ob aliquam causam legitimam venire omiserit, qua cessante, venire debet, singulos denarios super majus altare ecclesiae Abrincensis, prout consueverunt, reddere tenebuntur, et sacerdotes Montis illud inspicient diligenter ; et si in solutione denariorum pro numero domorum aliquis reperiatur defectus, sacerdotes Montis illud quod deerit infra octo dies apud Abrincas reddere teneantur : et si super dicta solutione inter presbyteros Montis et allocatum episcopi forsitan emerserit altercatio, credatur super hoc unius sacerdotis Montis simplici sacramento. Item sacerdotes Montis curam animarum habentes venient ad synodus episcopi, alioquin, nisi

venerint, vel fuerint legitime excusati, episcopus animadvertere poterit in eosdem. Item abbas, prout consuevit, ad synodum veniet, vel se legitime excusabit : item episcopus monachos et clericos Montis ad præsentationem abbatis ordinabit, sed examinatio eorum pertinebit ad abbatem. Item chrisma, oleum et alia sacramenta ecclesiastica, quæ a diocesano percipi debent, percipientur ab omnibus de Monte ab episcopo Abrincatensi : item dispositio catallorum illorum, qui subjunguntur in gravia, ad abbatis dispositionem pertinebit. Omnis vero jurisdicō, quam abbas habet, prout superius est expressum, eo mortuo, vel amoto, vacante monasterio, ad conventum pertinebit. Item episcopus Abrincensis in abbatem et conventum jurisdictionem ordinariam exercebit, qualem alii episcopi Normanniae in abbatiis sibi subjectis, ejusdem ordinis, possunt et debent exercere ; tamen propter hoc non est concessum episcopo Abrincensi, quod electioni abbatis Montis, possit vel debeat interesse. Item episcopus habebit visitationem et procriptionem in monasterio Montis, prout ad diocesanum pertinet.

In istam pacem convenimus, nos episcopus et capitulum Abrincense, abbas et conventus Montis, salvis certis privilegiis a sede apostolica, sive aliis, tam Abrincensi ecclesiæ quam monasterio Montis, hinc inde concessis, quæ non præjudicant dictæ compositioni, sicut est pertractatum, hinc inde omnibus peractis in judicio sive arbitrio habitis inter Willelmum de Ostilleio, quondam Abrincensem episcopum, et R. abbatem et conventum Montis sancti Michaëlis de periculo maris. Et ne super præmissis de cetero contentio oriatur, præsentes literas sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Actum anno Domini M.º CC.º tricesimo sexto, die Purificationis beatæ Mariæ virginis.